

PROSPECTUS SUBNOTATIONIS
COMMENTARII VOX URBIS IN AN. MDCCCXVIII

Pretium annuae subnotationis est in Italia Libell. 4,80
ubique extra Italiam Libell. 6,25
(Doll. 1,25; Sch. 5; March. 5; Rubl. 3; Coron. 6,25)
recto tramite mittendum

ad ARISTIDEM LEONORI Equitem

Commentarii "Vox Urbis", possessorem et administratorem

ROMAM, Piazza del Gesù, 48

Praemia sociis constituta:

Ex subnotatoribus quisque sive *Vox Urbis* kalendarium, sive tabulam
m. 0,25 × 0,45 Pontificiam dominationis
auspicationem referentem a Pio PP. IX anno MDCCCLXVI peractam, *ad libitum*
sibi habebit.

Qui socios novos comparaverit duos pretiumque eorum subnotationis
miserit, subnotatione sibi gra-
tuita omnino fruatur.

Qui socios novos comparaverit tres — bibliopolis exceptis — ma-
gnificam tabulam dono accipiet
m. 0,63 × 0,85 in qua apposita charta manu facta, calcographice impressa, offi-
cina Urbani hospitii S. Michaelis ad Ripam, antiqua gloria insignis, imaginem
retulit Pii X Pont. Max. vultus vigore, oculorum vi lineamentisque iure merito
apud omnes celebratam.

Qui triginta socios novos comparaverit ante Iulium mensem — bi-
bliopolis pariter exceptis —
dimidiatum pretium itineris habebit a quovis Europae loco ubi vivit Romam usque,
atque inde in domum suam, secunda, prouti vocant, ferriveharum classi usus.

Qui sexaginta socios novos comparaverit uti supra, eodem itinere
gratis omnino gaudebit.

Ann. XI.

ROMAE, Kal. Iuniis MDCCCXVIII

Num. VI.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Semel in mense prodit

Pretium annuae subnotationis, *ante solvendum*, est:

In Italia: Libellarum 4,80

ubique extra Italiam: Lib. 6,25 (Doll. 1,25; Sch. 5; M. 5; Rubl. 3; Coron. 6,25)

Cuncta mittantur ad ARISTIDEM LEONORI equitem

Commentarii VOX URBIS possessorem et administratorem

ROMA - Piazza del Gesù, 48 - ROMA

Subnotatio fieri potest:

IN GALLIA

apud

Librairie Gamber

Paris

Rue Danton.

IN ANGLIA

apud

Burns and Oates

London W.

28, Orchard Street.

IN RUSSIA

Varsaviae Polonorum

apud

Gebethner et Wolf

Rakowskie Przedmiescie, 15.

"Kronika Rodzina",

Krakowskie Przedmiescie, 6.

IN CANADA

apud

Librairie Granger Frères

Montreal

1000, Rue Notre-Dame.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Rerum index:

Ex Americis. - Urbs sodalitatibus ritu gubernata.
Gregoriani cantus progressio.
Nova Philandri Bavari de aqua disputatio.
Paroemiae sive Adagia: Crassiore Musa. - Rudius ac planius. - Invita Minerva. - In vado esse. - In portu navigare.
Ad conventum Hagensem *de pace publica*. - Carmen A. M. CASOLI e S. I. Mutinensis, in certamine poetico Hoeufftiano praemio donatum anno MDCXVIII.
Francisci Iosephi Austrorum imperatoris LX regni annus expletus.
De festo Ascensionis Christi Domini in caelum deque *Rogationibus*.
Acta Pontificia. - Sanctissimi Domini Nostri Pii divina providentia Papae X litterae encyclicae de modernistarum doctrinis: Modernista apologeta. - Modernista reformator.

Ex SS. Congregationibus Romanis sententiae novissimae selectae.
Diarium Vaticanum. - Coram SSmo admissiones. - Pontificiae electiones. - Varia. - Vita funeti viri clarioris.
Annales. - Vindobonenses feriae. - Mauritana res. - Indorum rebellio. - Ex infima America.
Publici per Orbem coetus legibus ferendis.
Per Orbem.
Libri recens dono accepti.
Aenigmata.

In tertia operculi pagina: TARCISIUS - Actio dramatica L. B. FRANCISCA versibus senariis conscripta.

Ex Americis

Urbs sodalitatibus ritu gubernata

Manchester urbem, in Nova Hampshire ex nordico americano foedere republica, Merrimac flumen alluit, eamque omnem una praesertim eademque opificia complent, quae nendo, aut pectendo, aut texendo cotoni adlaborant. Rubri plane, aut rubricantes totidem domuum lateres undique per urbem offendunt oculos; cives autem plerique in sodalitia sexdecim divisi atque distributi, in unam denique eamque maximam sodalitatem conlati vivunt, quae huiusmodi fabrefactioni atque commercio perficiendo vires pecuniamque confert. Sunt autem cives, ut fit in Americis passim, ex multis quidem variisque nationibus; nam et Americani multi, et Canadienses, Galli, Iberni, Polonice non pauci; alii vero Itali vel Graeci simul adsunt. Plerique eorum catholici sunt propriaeque templa habent; at nemo negotia agit quae sodalitatibus negotia non sint, aut quae quodammodo eius ab sociis non agantur. Equidem opifices plurimi in sodalitia adlaborant; qui vero ciborum aut vestium aut aliarum rerum commercia gerunt, ea ferme non nisi cum opificibus expediunt; sacerdotes iis administrant; magistratus eos iudicant.

Est autem civile hoc sodalitium urbe longe antiquius; plerumque enim terrarum partem, ubi urbs deinde exstructa est, ad eius socios pertinebat; eius quoque opibus et mandato plerique cives Manchesteriani suis laboribus vitam sibi comparant. Hisce omni-

bus fit ut nunquam, aut fere, Manchesteriani opifices desertionem inierint, ita plane ut medium per saeculum bis tantum generalis eorum secessio contigerit; semel vero ex parte secesserint. Attamen postremis hisce recessionibus opificum factio victa e certamine rediit; quamobrem firma deinde pax constituta est atque diu duratura. Habent certe et Manchesteriani opifices hoc vel alterum quod sive iure, vel iniuria querantur; attamen vitae vivendae ratio mitis plerumque atque facilis omnibus fit, ita ut quiescente pace adlaborare manibus, potiusquam tumultus aleam iacere plebs malit.

Hoc pacis regnum unusquisque coetus conservat nisu constanti. Opifices enim certa lege in sex atque viginti collegia coacti, quae unam, uti diximus, eademque sodalitatem constituunt, sua iura fortiter protuentur. Neque secus domini agunt atque ditiores, qui quidem inter se certo inito foedere commercia regunt. Divitiarum vero vim copiamque non ostentant, neque ita luxuriose vivunt, ut pauperibus iniuriam inferant, sed alacri animo omnes atque mente concordia in augendas suas aliorumque opes satagunt.

Hinc inde igitur moderati animi, desideria nunquam effraena, mitesque indoles. Quibus modis florescit quies atque uberiores affert civibus fructus. Ceterum ipsa sodalitia opificibus suis domunculas exstruxere, parvas eas quidem, sed nitidas, sed omni re, quae ad vitae commodum pertineat, instructas, hortulisque praecinctas. Huiusmodi domus seniores opifices annuo pretio locant, mox iunioribus commodant menstrua locatione, ita plane ut parva pecunia liceat cubiculum nitidum satis atque elegans

MAGNI MOMENTI MONITUM

Pontificia officina Candelarum ad Sacra
vapore acta

CONSTANTINI PISONI

ROMAE in ITALIA

Corso Vittorio Emanuele, 127-129 - Via Sediari, 1-2-3

innumerosum eorumque illustrium clientum suorum animadversionem repetit in *faculas ad noctem* atque ad collustrandum, quas iure proprietatis sibi protexit.
In his

Lux — Salubritas — Parsimonia

Mundities — Diuturnitas — Commodum.

Sunt enim forma singulari; a ceteris huiusmodi omnino differunt tum ex Italicis tum ex exteris officinis; perfecte comburuntur; tempus maximum durant.

Qui semel expertus fuerit, eas procul dubio in posterum semper adhibebit, nunquam relinquet.

Vitrei caliculi consulto ad usum apparati denudantur.

Candelae ex cera ad sacra - Candelae exquisitis ornamentis decoratae.

Officina condita est anno MDCCCIII



Diversorium Magnum, cui a Minerva nomen

(Grand Hôtel de la Minerve)

ROMAE - Piazza della Minerva - ROMAE

Diversorium inter optima Romae, in Urbis centro, recens omnino instauratum - Tercenta cubacula et magnae aulae - Calefactio - Balnea - Electrica lux ubique - Machinae duo ad ascendendum - Hiemale viridarium - Ludi triduculares - Aulae mulieribus reservatae.

Sacellum pro sacerdotibus ad sacra litanda.

Leopoldus Scotti, moderator.

Gulielmus Gaudenzi

Romae, Tor Sanguigna, 2-3; Via Coronari, 1

cuique suppeditat coronas, numismata, Christi crucifixi effigies, Sanctorum imagines tum insculptas tum omnibus modis impressas, metallis caelata opera ad sacra vel ad reliquias reponendas, pietatis libros, omniaque in Puellarum Mariae usum; pulcrarum artium specimina, musiva, caelatas sculptas gemmas et similia; quorum maximum apparatus possidet.

Gallice atque Hispanice loquitur.

Prospectum subnotationis *Vox Urbis* Commentarii

in an. MDCCCXVIII

videas in quarta operculi pagina.

habere salubremque cibum, atque puro aëre perfrui. Lucrum igitur tenue satis est, sed certum, assiduum et ita multiplex, ut nonnullis post annis assem sibi constituere opifikes seniores queant, et sua vice fundos emere et domum facere suam.



Vivitur igitur modice, iuste adlaboratur; otia nemo; ad publicam prosperitatem suam quisque lapidem confert, reipublicae felicitatem comparat concordia proposito; quibus omnibus profecto fit ut Manchesteriana illa americana respublica veluti specimen civitatum recte viventium apud omnes septemtrionalis americae populos collaudetur, et exemplum optimum his praesertim temporibus ceteris iure praebeat.

GREGORIANI CANTUS PROGRESSIO

Edito tandem his diebus typis vaticanis novo *Romano Graduali* libro, recti Gregoriani cantus semen ubique iam per orbem conseritur. Ut vero semen uberius edere fructus valeat inditamque foecunditatem effundere, agro eget et sulcis, paratis quidem et late ad ipsam foecunditatem. Quid igitur in re nostra?

Equidem opportunissimo tempore novus hic tandem liber venit, quum nimirum fideles pariter atque clerus anxio iam illum desiderio expectabant. Etsi enim Pontificis ea lex percelebris de cantu liturgico edita fuerit, non licebat tamen fidelibus emendatis sane musices libris uti. Musices enim ars atque delectatio eius religiosa, non secus atque ritualium precum verba, iamdiu corrupta fuerant. Siquidem consuetudo late invaluerat Gregoriani cantus canendi adeo rigide et ridicule, ut eum passim fideles horrescerent quasi et aspernarentur; neque ideo pii iam illi musices concentus in templis insonarent. Hisce de causis non modo ardua, sed inutilis pene, imo etiam periculosa Gregoriani cantus instauratio videbatur, quum neque canendi modus foret ut umquam corrigeretur, neque auferretur quodlibet audendi arbitrium, ex usu ipso librorum legitime impressorum excusatum. Praeterea optimi quoque musices libri tam gravi in re oralia documenta substituere minime valuissent. Magistri enim desiderabantur, qui quomodo concentus illi persolverent essent docerent, quique discipulos ita erudirent, ut illis cantibus delectarentur. Veruntamen novissimis adhuc diebus huiusmodi magistros frustra quaesiveris, neque periti cantores praesto erant, qui tales concentus callerent. Si igitur cantus instauratio cito nimis pertentata fuisset, incassum plane tunc cessisset, atque omnis proinde

ausus Pontificis corruiisset. Neque enim ulla tunc reformatio prospere cessisset, neque mala ulla consuetudo diffugisset, quia novi ipsi libri non satis planum ad rem attulissent auxilium. Vel itaque inita vaticana editione, ex rapida ipsa eius diffusionem complementum totius operis nutasset.

At, difficultates quaedam, quibus non satis provisum erat, non sine divinae Providentiae consilio, editionis complementum distulerunt. Itaque hac mora adiuvante, optimo sane modo postremis temporibus medicina parata est. Equidem Gregoriani cantus libris, quos Monachi ex S. Benedicti Ordine ediderunt, iam late vulgatis, kyrialis liber additus est Vaticanis typis editus, quem cantores sequuti, genuinos Gregoriani concentus modos legitimasque notas callere coeperunt. Multis itaque in Seminariis multisque Benedictinorum in abbatibus, itemque in religiosorum domibus pluribus reformationis ausus optime initus atque perfectus est. Hisce enim in locis scholae cantorum constitutae sunt, in quibus sive cantores, sive cantus magistri, sive sacerdotes, sive clerici erudirentur quotquot novissimis Summi Pontificis iussibus obtemperare cupiissent. Hi omnes vicissim veteris huius cantus facti sunt magistri apud ceteros: ipsis adiuvantibus illam assequi licebit musices instaurationem, quam Summus Pontifex tanto desiderio fovit. Ipsi autem Episcopi passim sibi peculiare suscipientes negotium contrarias factiones cohibuerunt, adiuvantibus coetibus dioecesanis, qui sollertia mirabili Pontificis decreta et mentem optimo consilio in Christi fideles vulgarunt.

Plura insuper habita sunt tum regionalia comitia tum singularum nationum, eaque praesertim apud Italos, qui hac de musices instauratione magis fuere solliciti. Maximae vero auctoritatis fuit coetus quarto abhinc anno Romae coactus, quum sancti Gregorii centenaria solemnitas XIII haberetur. Convenere tunc una simul Patres Cardinales, Episcopi, legati sacerdotes atque laici optimates vel doctores multi, qui omnes hanc instaurationem mira concordia votis suis cupierunt. Strasburgi autem sequenti anno idem populi concursus eademque concordia fuit. Horum comitiorum utilitas omnium brevi expectationem superavit. Quid ultra? Factum est ita ut Gregoriani cantus cultores ubique gentium multiplicati sint, qui pertentatam iamdiu instaurationem omni conatu propugnauerint; ut sodalitates constituerentur summa constantia incoeptum protuentes, idque praesertim apud Germanos, quorum maxime ingenio, gravi quidem et rigido, Gregoriani cantus veteres illi modi melius respondent. Itaque Basilea in urbe habito novo coetu cultorum musices, magnus sane locus Gregorianis modis relictus est.

Neque est praetermittendum Gregoriani cantus editores suum alacres opus provexisse, atque praefa-



Putabant maiores nostri maria esse alta ad triginta vel quadraginta chilometra: sed postea inventa est media altitudo metrum trium millium et quingentorum.

Quid sit media altitudo, quaeris?

Coniunctum singularum altitudinum, quas invenerunt mensores, numerum mentionum numero divide: quem hinc efficis, numerus medius dicitur. Sic statuta sunt in mari post frequentes Americanorum, Germanorum, maxime autem Anglorum expeditiones, quae iam dixi metrum tria millia et quingenta. Profundissimus autem, qui repertus est locus metrum est novem millium quadringentorum triginta; est in oceano magno locus ex Neoselandia ad orientem vergens. Mediterraneum autem mare attingit metrum millia quattuor et quadringenta quadringenta. Hoc ergo potest de maris altitudine statui: tam longe aquam descendere, quam summi montes ex summa aqua ascendunt: id est ad novem chilometra. Nihilominus, si omnis terra, quae ex aqua exstat, in mare devolveretur, non amplius quam metris centum sexaginta minueretur marium altitudo. Nulli in imo mari sunt montes, sed longissimae quasi fossae magnae latitudinis, quarum unae alias excipiunt. Quodsi metra ducenta in aquam descendimus tantas in tenebras incidemus, quantis in terra noctu circumdamur: si amplius ducenta progressi erimus, nullum videbimus lucis vestigium, id quod photographica tessera, quam demiserant exploratores, satis demonstratum est.

De corporibus autem in mari solutis dici multum non debet. Nonne ipsum mare a poetis dicitur « sal »? Cuius tanta est in aqua marina copia, ut bibi non possit. Idcirco nautae, antequam solvant naves, ad cibum parandum implent aquarias capsas. Exacta autem in vaporem aqua marina, sal residet, maxime illud, quo ad condiendum cibum utimur. Suspicias me plura dicere salis genera, quum unum esse didiceris, quod pueri matri a tabernario petebamus. Sed chymici salia multa numerant, id est acida, quorum cessit hydrogenium metallo: ut quum natrium accedit ad acidum muriaticum, quod est ex hydrogenio et chloro, et hydrogenium expellit sibiique chlorum adiungit, sal culinarium evadit. Praeterea sunt in mari magnesi, calcii bromii salia. Calx autem quam adducunt ex terra flumina ad conchas conficiendas inservit. Ubi plus aquae vaporat, ibi plus est salis: propterea sunt mediterranei maris in partibus centenis quaternae salis et exsiccaretur hoc mare, nisi ex Atlantico aqua irrumperet. Minuitur quorundam marium minorum sal fluminibus, ut Pontis: cuius partes centena continent salis partes binas. In mari mortuo tam crebra sunt salia, ut quartam partem efficiant tribus partibus aquae relictis. Sal

tionem, vespertina, antiphonaria suo quaque tempore vulgasse, quae singulas in dioeceses quum fuissent introducta, non modicum iis lucrum etiam afferrent. Hisce factis « sensim sine sensu », at « quamprimum tamen » uti monebat Pontifex in decreto an. MCMV Idibus Augustis edito, res perfecta est; nova denique Gradualis vaticani editione, in qua omnia reperiuntur quae satis superque sint clericis et fidelibus liturgicis cantibus participantibus, non iniuria sperare licet fore ut immota sic permaneat, atque pietas augeatur et sacrorum rituum pulchritudo in dies magis renideat.

Nova Philandri Bavari de aqua disputatio

Ad Laurentium.

Crebris litteris et exhortationibus rogare non desinis, Laurenti, ut aliquando finiam, quem habui ad te et ad Stephanum nobis amicissimum de aqua sermonem, ut quae, quum ad fontem considerabamus in sylva, viva voce reddidi invitus, scripta ad te transmittam; et quamquam certo scio non me praestitutum ea quae exspectas, tamen, ut vel rogandi finem facias, quae tunc de mari supererant, breviter et ieiune praecidam.

Nam si cupias admirari maris magnificentiam vel nitido quodam abduci linguae genere, lege, quae de suis itineribus, tum laboriosis et periculorum plenitudo, tum de facilibus atque iucundis nautae commentariis prosequuti sunt. Ecquis enim tam est lento animo, quin infinitorum moveatur spuma fluctuum? quin ad summam ultro feratur delectationem nocturna in mari tranquillo fulgore siderum? qui, quum contemplatur hanc maiestatem, mentem non sua sponte levet ad eum, qui terra quandam quasi limite maria cinxit? Haec igitur lege Laurenti, si leporem quaeris et loquendi flores. Satis enim te novisse puto, quam exili genere rerum copiam physici vestiant. De mari disputare geologum reliquum est. Utinam ego, quae quondam a magistro accepi, memoria tenerem omnia! Solas reliquias enumerabo.


Summae igitur sphaerae, quam terram nominamus, partem maiorem sibi absumpsit aqua: ut singulis chilometris quadratis terrae terrea respondeant aquae chilometra quadrata. Haec aqua mare vocatur. Colorem habet caeruleum, qui est ex pulveris particulis reflexa lux. Summam saepe praebet noctu quaedam in mari bestiolae candoris pulchritudinem. Dicam ergo aliquid primum de altitudine maris, deinde de quibusdam corporibus, quae soluta sorbuit a qua marina, tum de calore aquae marinae, tum de fluctibus, postremo de fluminibus in mari.

densiorem reddit aquam marinam, quam est fontana, et ob hanc causam pondera potest ferre maiora, maiora post frigora glaciatur.

Nonne iam avertitur animus ab his rebus, Laurenti? Me pictorem non esse vides? Hoc iam praedixi futurum, sed vicit tua rogatio. Ad reliqua ergo pergamus. Tertium erat ut de calore dicerem marino. Hunc moderatur sol, qui per straturas aquam calefacit et ad metra ducenta pervadit. Sed sicut in terra regiones calidiores sunt unae, quo quidem feruntur directi radii solis, aliae frigidiores quia obliqua est earum apricatio: ita maris partes unae plus recipiunt solis quam aliae, ut, quae propius ad aequatorem accedunt, ad gradus triginta duos ascendunt, quae proxime ad alterutrum globi terrestri polium attingunt, tribus gradibus zero subsint. De superiore aqua haec dixi: in infimo enim mari non longe a solo aequus fere ubique est calor unius gradus.

Quo, haec omnia modo invenerunt physici? Thermometro mensi sunt omnia. Hoc cum aliquo pondere et cum scintilla electrica demiserunt. Filum docuit quae fuerit loci altitudo; scintilla excitata gradum significavit in tessera, a qua postquam retracta est, legebatur calor. Nam si nudum demisissent thermometrum, mutasset in via aqua calidior aut frigidior in tubo thermometri filum mercurii, itaque vel falsum vel certe dubium gradum collegissent.

(Ad proximum numerum).



PAROEMIAE SIVE ADAGIA

Crassiore Musa.

Παχύτερη μούσα, id est « Crassiore Musa ». Eandem paroemiam sic extulit Quintilianus (*Inst. Orat.*, I): « Liber propter quosdam imperitiores etiam crassiore, ut vocant, Musa, dubitationem huius utilitatis eximere ». Invenitur aliquoties apud scriptores non inidoneos: « pinguiore formula » pro eo quod est « planius atque intelligibilius ». Dictum est et « Latine loqui » pro eo quod est « aperte et simpliciter ». Marcus Tullius in Verrem: « Latine me scitote, non accusatorie loqui ». Item in Philip. « Sed ut solent ii, qui plane et Latine loquuntur ».

Rudius ac planius.

Inelegantius quidem est illud apud Graecos, sed idem tamen pollet: ἀμειψότερον καὶ σαφέστερον εἰπέ, quod apud Gellium refertur: « Nosti enim, credo, verbum illud vetus et pervulgatum ἀμειψότερον καὶ σαφέστερον εἰπέ, id est: indoctius rudiusque quodammodo loquere, et apertius ac clarius fare ».

Sumptum apparet ex Aristophanis comoedia, cui titulus Βάτραχοι (Ranae), ubi legitur: « Indoctius proloquitur atque clarius »; quo carmine Bacchus Euripidis obscuritatem taxat. Suidas et interpretes admonent subesse proverbium, quod hunc ad modum feratur, indeque sumptum, quod antiquitus illi σοφοί, quos vocant, solerent mysteria sapientiae quibusdam aenigmatum involueris data opera obtegere, videlicet ne profana turba ac nondum philosophiae sacris initiata alloqui posset. Sic Plato numeris suis obscuravit suam philosophiam; sic Aristoteles multa mathematicis collationibus reddidit obscuriora.

Invita Minerva.

Latinis hoc fuit celebratissimum « Invita Minerva » pro eo quo est « refragante ingenio — repugnante natura — non favente caelo ». Cicero in *Officiis*: « Invita, ut aiunt, Minerva ». Idem in libro *Epistolarum familiarium* XII: « Quinque quibus, frequenti Senatu, causam tuam egi non invita Minerva ». Rursus eiusdem operis in lib. III: « Idque, quoniam tu ita vis, puto me non invita Minerva facturum ». Horatius:

Tu nihil invita dices, faciesve Minerva.

Huc adlusit Seneca quum dixit male respondere coacta ingenia.

In vado esse.

Metaphora haec proverbialis, idem sonans atque « In tuto, citraque discrimen » sumpta est a nantibus aut navigantibus. Terentius: « Omnis res in vado est ». Plautus in *Aulularia*: « Haec propemodum iam esse in vado salutis res videtur ». Vadum est aquae fundus, in quo quisquis constiterit is iam effugit periculum ne mergatur.

In portu navigare.

Affinis haec est praecedenti allegoria, qua significamus nos iam a periculo abesse; propterea quod qui mediis adhuc in fluctibus navigant ventorum et aestus arbitrio navigant; contra, qui iam intra portum sunt nihil habent negotii cum undis ac ventis. Unde vulgatissima metaphora hominem in cuius praesidio conquiescimus, portum appellamus; et qui sese ad tranquillam tutamque aliquam vitae rationem traducunt, in portum se recipere dicuntur. Terentius in *Andria*: « Nunc huius periculi fit: Ego in portu navigo ». Virgilius paullo diversius in *Aeneidos* lib. VII:

Nunc mihi parva quies, omnisque in limine portus.



AD CONVENTUM HAGENSEM DE PACE PUBLICA

Carmen A. M. CASOLI e S. I. Mutinensis

in certamine poetico Hoeufftiano praemio donatum anno MCMVIII

*Pacem rogamus quotquot ab unico
Latum per orbem semine prosati,
Humano et humanos decenti
Ingenio fruimurque cultu.*

*An belluina non rabie satis
Fraterna fratres rumpere pectora
Et caede communem scelestam
Perstitemus violare terram,*

*Frustra nivosis scilicet alpibus
Oras et undis dissociantibus
Quemcumque constantes sagaci
Oppositum superare nisu?*

*Heu, quā latebris provida devius
Natura vires occulit suas,
Quas non in alternam refusas
Perniciem, male gestientes*

*Exerceamus? Iam puerilia
Enses et hastae. Fulminis aemulae
Fulsere mugituque late
Horrissono dederunt ruinas*

*Flammanti adactae pulvere machinae:
Sive illae apertum mille per aera
Excusserint glandes liquenti
Lethiferas sine more plumbo,*

*Seu, piscis instar, summa sub aequora,
Immane monstrum, missile iecerint,
Cui multa anhelanti coacta
Visceribus furit aura hiatus*

*TE constituto vindice et arbitro,
Quem Numen ipsum gentibus intulit
Patremque praefecit ducemque
Legifera Capitolii in arce.*

*Et proruturis stat caput ignibus:
Coecum carinas quod simul attingit
Pontumque caelumque in profundum
It fragor: intumescere circum*

*Cum nube fluctus; at procul horrida
Exaestuanti per freta vortice
Hinc inde diffractos vibravit
Unda trabes lacerosque malos.*

*Quos inter, heu!, quam multa supernantant
Discerpta foede frusta cadaverum
Artusque et effusis cruenta
Visceribus cerebroque membra!*

*O per superna de manu originem
Cunctis eandem! o per et omnibus
In liberos fratresque sancta,
Si qua manent, pia iura ferris,*

*Incesta tandem tela recondite,
Viri, atque amicas iungite dexteras!
Sat namque, mortales, dolori
Sat lacrimis rapidoque letho*

*Debemur, ipsi quin furialiter
Adurgeamus tarda gradu mala
Et mortis ignotae profervi
Multiplices properemus artes.*

*Pacem rogamus! quam bene iurgia
Statā universis lege residerent!
Quam tuta concordiae volentem
Lure fides sociaret orbem,*

FRANCISCI IOSEPHI AUSTRORUM IMPERATORIS
LX REGNI ANNUS EXPLETUS

Sexagesimo abhinc anno, die mensis Maii septima, Ferdinando I imperatore relinquente solium, Franciscus Iosephus I, decimum octavum vix annum natus,



Absburgensium thronum tenuit. Rex ipse atque imperator ad octogesimum prope aetatis suae modo properat annum, sexagesimumque regni iam complet; licet diuturna hac aetate Absburgensibus regibus nullam fuisse graviolem aut tristiolem proculdubio dici possit. Quid enim aliud huius temporis historia inde recoluit, nisi seditiones, bella, clades, neces et luctus sive populorum sive regiae ipsius domus? Quibus de causis respublica omnis aut interna aut externa veluti concussa semper et exagitata quievit nunquam, atque sensim et paulatim innovata atque immutata est.

Imperium enim, quod Napoleonis I superbiam immanemque fortunam constantissimo conatu oppugnaverat ac tandem everterat, Metternich ille princeps callidus pariterque rigidus una vi regiae auctoritatis restitutum communiverat eiusque quasi oppidum esse et arcem voluerat. Verumtamen multiplex et varia et dissita tot populorum voluntas, qui in imperium colligebantur, adeo tandem potuit, tantoque conatu nisa est undique, ut molem illam rigidam et ferream varie et undequaque oppugnaverit, concusserit, disiecerit ita ut una vix reverentia regis tantam hodie multitudinem in imperio contineat. Hinc motae sane et incensae Vindobonensium, Pragensium, Budensium seditiones; hinc Langobardorum vindicatio in libertatem, bellaque cum Italis tria, cum Hungaris duo, cum Borussicis unum, ex quibus Langobardi ac Veneti imperio discessere, Hungari regnum sibi obtinere seiunctum, Borussi ceterique Germani septentrionales novum imperium condidere.

Addendi hisce fatiis domestici luctus: et Maximiliani fratris Mexicanorum regis, Rodulphi filii atque

regni haeredis, Elisabeth uxoris pulcherrimae et piissimae cruentae caedes, Ioannis consobrini ignotum hactenus fatum, nuptiae hinc et inde a filiis atque a nepotibus inscio aut obstante Caesare cum privatis mulieribus initae, ita plane ut nullum fuerit Absburgensi ex domo cuius memoria Caesari gravis non exstet.

Modo autem, quamvis tot superatum pugnis, totque seditionibus laceratum, ingenti adhuc eoque praevalido exercitu imperium communiatur ac fortissima vi coalescant adhuc dissitae tot gentes et regna, pacis tantum sub specie et concordia vivitur.

Atque latet neminem unam praesertim in his protruendis virtutem esse constitutam, principis praestantiam atque populorum studium erga illum. Qui quidem populi, licet tantis vicissitudinibus exagitati, suum tamen regem eo magis dilexerunt et honoraverunt, quo magis domestica aut publica fortuna vexatum intuerentur.

Popularis itaque gratia, concordia, studia circa senem hodie uniuntur aretissime, clerusque atque optimates, milites et populus unanimi laetitia suam illi obtestantur fidem, atque videntur certare ut quidquid in diuturna vita asperum, durum, atrox, horridum ille pertulerit, publico gaudio rependant. Equidem sentiunt omnes palamque profitentur libenter ex Caesare illo tantum austriacam rem publicam stare, eiusque una virtute ab ultima ruina pluries esse servatam atque nunc quoque servari. Etenim in tanta populorum varietate qui neque origine, neque lingua, neque moribus, neque religione conveniunt, quique immo alii in alios mutua semper aemulatione ita feruntur, ut Germani in Polonos, Hungari in Germanos, Bohemi in Hungaros, Illyrici in Bohemos, Itali in Illyricos, atque vicissim omnes odia foveant, nihil commune omnibus est nisi Absburgensis ille domus regalis procurator, qui coronam regiam atque



Schönbrunn aedes ad Vindobonam.

imperatoriam gestat. Absburgensi imo ex domo tot post caedes et infortunia, unus hic omnibus videtur superstes octogenarius rex, qui fortitudine et iustitia et constantia mirabili et qua semper potuit benevolentia arbitrium hactenus atque iudicium tot discordiarum rexit, regalique intercessione integerrime omnia composuit, maxime autem terra marique imperii nomen et auctoritatem protuens ingentes militum classiariorumque copias semper servavit integras et concordēs suo gladio sceptroque fideles.

Tanto itaque viro regi, tantis laboribus et virtutibus, tantam pro meritis gloriam tantumque praemium civium universo gaudio admiratus, fausta cuncta pacifica et prospera omnari in longum adhuc aevum animus gaudet.

Clarissimi imperatoris effigiem oculis lectorum hodie subiicientes, aedium etiam prospectum praebemus Schönbrunn, quo tot regales principes circa senem venerandum gratulabundi his diebus convenere, et Vindobonensis fori cui a Maximiliano nomen, ubi magnificentum templum videre est Sanctissimo Servatori a piissimo viro dicatum, postquam e sicarii manu nefarie eius vitam petenti an. MDCCLIII sospes feliciter evasit.

DE FESTO ASCENSIONIS CHRISTI DOMINI IN CAELUM
DEQUE "ROGATIONIBUS,"

Solemnis dies Christi Iesus ascendentis in caelum ab ipsa Apostolorum aetate quinta post diem Resurrectionis hebdomada celebratus invenitur. Quae quidem annua sollemnia non Latini tantum, sed Graeci quoque annua laetitia agebant, eique *πεντηκοστήν* dederant nomen. Haec nos docent Sanctus Ioannes Chrysostomus alique Ecclesiae Patres, qui ea aetate floruerunt. Pompa singulis a templis die illa feriat per urbes omnes ducebatur; quas Gregorius Tironensis narrat et Petrus Gassendo, qui eam describit quae Vignensi in Gallica dioecesi fiebat. Baillet autem eam pompam duoi consuevisse tradit in memoriam itineris quod Ierusalem ab urbe ad Olivetum montem Apostoli deduxerunt, quum Iesum Christum comitati sunt, deinde vero ab illo monte Ierusalem rediere.



Vindobonense forum, cui a Maximiliano nomen.

Memorandus est etiam ritus, qui ea die in Viennensi Gallicae civitatis urbe explebatur. Ibi equidem, sacra dum pompa redit, cui et ipse intererat archiepiscopus, canonici duo extra ecclesiam a cantoribus haec formula rogabantur: « Quem quaeritis? ». Ad quae canonici: « Iesum Nazarenum — respondebant — qui resurrexit ». Cantores autem rursus: — « Iam ascendit, sicut dixit ». Quibus auditis *alleluia* vox omni ex choro erumpebat: mox sollemnis missa celebrabatur.

Eadem die novi panis novorumque fructuum benedictio fiebat. Qui autem ritus illa in benedictione celebraretur, ex veteri Pontificali Narbonensi appareret, quo et Catalamiensis archiepiscopus utebatur.

Romae, ad annum usque MDCCLXX « Papalis Cappella » in Cathedrali S. Ioannis templo ad Lateranum habebatur; cuius ab insigni perystilio congregato populo Pontifex solemniter benedicebat.



Triduo ante diem Dominicae Ascensionis sacram, *rogationes* publicae ab Ecclesia habentur ut novorum graminum copiae et ubertati Deus propitiatur. Antiquitus vero non prece tantum, sed ieiuniis et abstinentiis rogationes hae celebrabantur. Harum institutio precum Mamerto Viennensi Gallico episcopo tribuitur, qui eas iussit, suum ut gregem a multiplicibus flagellis liberaret, quibus afflictabatur. Quamquam sunt qui hunc morem a Mamerto non inventum

sed instauratum affirmant. De ieiuniis loquitur Sidorius; Martenes autem refert morem cineres tunc benedicendi, quae singulorum capitibus, qui sacro adessent, imponebantur. Qui mos pluribus in locis servatus est diu, idque praesertim Melita in insula a Hierosolymitanis equitibus, iuxta eorum statuta. Procedente vero tempore passim obsolevit, ut SS. Patrum communis sententia requisivit, qui indignum tempore Paschali ieiunium existimabant. Ita factum est ut Ambrosiana Ecclesia ut ieiunandi arbitrium retineret, post Ascensionis tempus rogationes celebraret. In Iberia denique, VII p. C. saeculo, ferias V, VI, atque Sabbato post Pentecosten celebrari rogationes praescriptum est.

Diversae prorsus ab iis sunt rogationes, quas S. Gallus episcopus instituit; quae nimirum, ut Gregorius Turonensis affirmat, medio quadragesimali tempore celebrantur. Fit praeterea in Lugdunensi Concilio primo rogationum mentio, quae Novembri mense agerentur; Gerodensi autem in Synodo aliae rogationes memorantur, quae post Pentecosten festum haberentur.

Romanum autem in Ecclesiam S. Leonis III Pontificis ab aetate rogationum mos invectus est. Qui quidem, magno terraemotu concussa urbe, et S. Pauli basilica diruta, iussit triduo ante Dominicam Ascensionem quotidie litanias recini et publicam pompam per vias urbis deduci.

Narrat enim Hugonius Leonem constituisse ut prima die S. Mariae Maioris a basilica ad Lateranensem; altera die a S. Sabinae templo ad S. Pauli in via Ostiensi; die tertia a S. Crucis ad S. Laurentii basilicam cives supplicantes incederent. At Pontifices qui sequuti sunt varia passim de re ediderunt. Postrema itaque aetate haec erant itinera tria: die prima S. Adriani a templo usque ad aedes S. Mariae Maioris; die secunda a S. Maria in Foro ad Lateranum, die tertia S. Laurentii in Damaso ex aedibus ad Vaticanum, ubi finis Rogationibus pompa sollempnissima imponebatur. Hodie sacra haec publica praetermissa sunt omnino: rogationes intra templorum fines habentur.

ACTA PONTIFICIA

Sanctissimi Domini Nostri Pii divina providentia Papae X litterae encyclicae de modernistarum doctrinis.

(Cfr. num. sup.).

Modernista apologeta.

Sed ad apologetam transeamus. — Hic apud modernistas dupliciter a philosopho et ipse pendet. Non directe primum, materiam sibi sumens historiam, philosopho, ut vi-

dimus, praecipiente conscriptam: directe dein, mutuatus ab illo dogmata ac iudicia. Inde illud vulgatum in schola modernistarum praecipuum, debere novam apologesim contrarias de religione dirimere historicis inquisitionibus et psychologicis. Quamobrem apologetae modernistae suum opus aggrediuntur rationalistas monendo, se religionem vindicare non sacris libris neve ex historiis vulgo in Ecclesia adhibitis, quae veteri methodo descriptae sint; sed ex historia reali, modernis praeeptionibus modernaque methodo conflata. Idque non quasi ad hominem argumentati asserunt, sed quia reapse hanc tantum historiam vera tradere arbitrantur. De adserenda vero sua in scribendo sinceritate securi sunt: iam apud rationalistas noti sunt, iam, ut sub eodem vexillo stipendia merentes, laudati: de qua laudatione, quam verus catholicus respueret, ipsi sibi gratulantur, eamque reprehensionibus Ecclesiae opponunt. — Sed iam quo pacto apologesim unus aliquis istorum perficiat videamus. Finis, quem sibi assequendum praestituit, hic est: hominem fidei adhuc expertem eo adducere, ut eam de catholica religione experientiam assequatur, quae ex modernistarum scitis unicum fidei est fundamentum. Geminum ad hoc patet iter: obiectivum alterum, alterum subiectivum. Primum ex agnosticismo procedit; eoque spectat, ut eam in religione, praesertim catholica, vitalem virtutem inesse monstret, quae psychologum quemque itemque historicum bonae mentis suadeat, oportere in illius historia incogniti aliquid celari. Ad hoc, ostendere necessum est, catholicam religionem, quae modo est, eam omnino esse quam Christus fundavit, seu non aliud praeter progredientem eius germinis explicationem, quod Christus inexit. Primo igitur germen illud quale sit, determinandum. Idipsum porro hac formula exhibere volunt: Christum adventum regni Dei nunciasset, quod brevi foret constituendum, eiusque ipsum fore Messiam, actorem nempe divinitus datum atque ordinatorem. Post haec demonstrandum, qua ratione id germen, semper immanens in catholica religione ac permanens, sensim ac secundum historiam sese evoluerit aptarumque succedentibus adiunctis, ex iis ad se vitaliter trahens quidquid doctrinalium, cultualium, ecclesiasticarum formarum sibi esset utile; interea vero impedimenta si quae occurrerent superans, adversarios profigans, insectationibus quibusvis pugnisque superstet. Postquam autem haec omnia, impedimenta nimirum, adversarios, insectationes, pugnas, itemque vitam foecunditatemque Ecclesiae id genus fuisse monstratum fuerit, ut, quamvis evolutionis leges in eiusdem Ecclesiae historia incolumes appareant, non tamen eidem historiae plene explicandae sint pares; incognitum coram stabit, suaque sponte se offeret. — Sic illi. In qua tota ratiocinatione unum tamen non advertunt, determinationem illam germinis primigenii deberi unice apriorismo philosophi agnostici et evolutionistae, et germen ipsum sic gratis ab eis defini ut eorum causae congruat.

Dum tamen catholicam religionem recitatis argumentationibus asserere ac suadere elaborant apologetae novi, dant ultro et concedunt, plura in ea esse quae animos offendant. Quin etiam, non obscura quadam voluptate, in re quoque dogmatica errores contradictionesque reperire se palam dicunt: subdunt tamen, haec non solum admittere excusationem, sed, quod mirum esse oportet, iuste ac legitime esse prolata. Sic etiam, secundum ipsos, in sacris libris, plurima in re scientifica vel historica errore afficiuntur. Sed, inquit, non ibi de scientiis agi aut historia, verum de religione tantum ac re morum. Scientiae illic et historia integumenta sunt quaedam, quibus experientiae religiosae et morales obteguntur ut facilius in vulgus propagantur; quod quidem vulgus cum non aliter intelligeret, perfectior illi scientia aut historia non utilitati sed nocimento fuisset.

Ceterum, addunt, libri sacri, quia natura sunt religiosi, vitam necessario vivunt: iam vitae sua quoque est veritas et logica, alia profecto a veritate et logica rationali, quin immo alterius omnino ordinis, veritas scilicet comparationis ac portionis tum ad medium (sic ipsi dicunt) in quo vivitur, tum ad finem ob quem vivitur. Demum eo usque progrediuntur ut, nulla adhibita temperatione, asserant, quidquid per vitam explicatur, id omne verum esse ac legitimum. — Nos equidem, venerabiles Fratres, quibus una atque unica est veritas, quique sacros libros sic aestimamus quod Spiritu Sancto inspirante conscripti Deum habent auctorem (1), hoc idem esse affirmamus ac mendacium utilitatis seu officiosum ipsi Deo tribuere; verbisque Augustini asserimus: Admisso semel in tantum auctoritatis fastigium officiose alio mendacio, nulla illorum librorum particula remanebit, quae non ut cuique videbitur vel ad mores difficilis vel ad fidem incredibilis, eadem perniciosissima regula ad mentientis auctoris consilium officiumque referatur (2). Unde fiet quod idem sanctus Doctor adiungit: In eis, scilicet Scripturis, quod vult quisque credit, quod non vult non credit. — Sed modernistae apologetae progrediuntur alacres. Concedunt praeterea, in sacris libris eas subinde ratiocinationes occurrere ad doctrinam quampiam probandam, quae nullo rationali fundamento regantur; cuiusmodi sunt quae in prophetiis nituntur. Verum has quoque defendunt quasi artificia quaedam praedicationis, quae a vita legitima fiunt. Quid amplius? Permittunt, immo vero asserunt, Christum ipsum in indicando tempore adventus regni Dei manifeste errasse: neque id mirum, inquit, videri debet; nam et ipse vitae legibus tenebatur! — Quid post haec de Ecclesia dogmatibus? Scitent haec etiam apertis oppositionibus: sed, praeterquamquod a logica vitali admittuntur, veritati symbolicae non adversantur; in iis quippe de infinito agitur cuius infiniti sunt respectus. Demum, adeo haec omnia probant tumenturque, ut profiteri non dubitent, nullum Infinito honorem haberi excellentiorem quam contradictoria de ipso affirmando! — Probata vero contradictione, quid non probabitur?

Attamen qui nondum credat non obiectivis solum argumentis ad fidem disponi potest, verum etiam subiectivis. Ad quem finem modernistae apologetae ad immanentiae doctrinam revertuntur. Elaborant nempe ut homini persuadeant, in ipso atque in intimis eius naturae ac vitae recessibus celari cuiuspiam religionis desiderium et exigentiam, nec religionis cuiuscumque sed talis omnino qualis catholica est; hanc enim postulari prorsus inquit ab explicatione vitae perfecta. — Hic autem queri vehementer Nos iterum oportet, non desiderari e catholicis hominibus, qui, quamvis immanentiae doctrinam ut doctrinam reiiciunt, ea tamen pro apologesi utantur; idque adeo incauti faciunt, ut in natura humana non capacitatem solum et convenientiam videantur admittere ad ordinem supernaturalem, quod quidem apologetae catholici opportunis adhibitis temperationibus demonstrarunt semper, sed germanam verique nominis exigentiam. — Ut tamen verius dicamus, haec catholicae religionis exigentia a modernistis invehitur, qui volunt moderatiores audiri. Nam qui integralistae appellari queunt, ii homini nondum credenti ipsum germen, in ipso latens, demonstrari volunt, quod in Christi conscientia fuit atque ab eo hominibus transmissum est. — Sic igitur, Venerabiles Fratres, apologetica modernistarum methodum, summam descriptam, doctrinis eorum plane congruentem agnoscimus: methodum profecto, uti etiam doctrinas, errorum plenas, non ad aedi-

ficandum aptas sed ad destruendum, non ad catholicos efficiendos sed ad catholicos ipsos ad haeresim trahendos, immo etiam ad religionis cuiuscumque omnimodam eversionem!

Modernista reformato.

Pauca demum superant addenda de modernista ut reformato est. Iam ea, quae huc usque loquenti sumus, abunde manifestant quanto et quam acri innovandi studio hi homines ferantur. Pertinet autem hoc studium ad res omnino omnes, quae apud catholicos sunt. — Innovari volunt philosophiam in sacris praesertim Seminariis: ita ut, amandata philosophia scholasticorum ad historiam philosophiae inter cetera quae iam obsoleverunt systemata, adolescentibus moderna tradatur philosophia, quae una vera nostrae aetati respondens. — Ad theologiam innovandam, volunt, quam nos rationalem dicimus, habere fundamentum modernam philosophiam. Positivam vero theologiam, niti maxime postulant in historia dogmatum. — Historiam quoque scribi et tradi expetunt ad suam methodum praescriptaque moderna. — Dogmata eorumdemque evolutionem cum scientia et historia componenda edicunt. — Ad catechesim quod spectat, ea tantum in catecheticis libris notari postulant dogmata, quae innovata fuerint sintque ad vulgi captum. — Circa sacrorum cultum, minuendas inquit externas religiones prohibendumve ne crescant. Quamvis equidem alii, qui symbolismo magis favent, in hac re indulgentiores se praebant. — Regimen ecclesiae omni sub respectu reformandum clamitant, praecipue tamen sub disciplinari ac dogmatico. Ideo intus forisque cum moderna, ut aiunt, conscientia componendum, quae tota ad democratiam vergit: ideo inferiori clero ipsisque laicis suae in regimine partes tribuendae, et collecta nimium contractaque in centrum auctoritatis dispartienda. — Romana consilia sacris negotiis gerendis immutari pariter volunt; in primis autem tum quod a sancto officio tum quod ab indice appellatur. — Item ecclesiastici regiminis actionem in re politica et sociali variandam contendunt, ut simul a civilibus ordinationibus exulet, eisdem tamen se aptet ut suo illas spiritu imbuat. — In re morum, illud asciscunt americanistarum scitum, activas virtutes passivis asseponi oportere, atque illas prae istis exercitatione promoveri. — Clerum sic comparatum petunt ut veterem referat demissionem animi et paupertatem; cogitatione insuper et facto cum modernis praecipue consentiat. — Sunt demum qui, magistris protestantibus dicto lubentissime audientes, sacrum ipsum in sacerdotio coelibatum sublaturum desiderant. — Quid igitur in Ecclesia intactum relinquant, quod non ab ipsis nec secundum ipsorum pronuntiata sit reformandum?

EX SS. CONGREGATIONIBUS ROMANIS SENTENTIAE NOVISSIMAE SELECTAE

Ex Congregatione Sacrorum Rituum, Indulgentiarum et Sacrarum Reliquiarum:

— Canonicis mitra tantum uti licet dum simul pontificalibus functionibus sacris vestibus induti assistunt, neque canonicus celebrans mitra uti potest, etiam praesente capitulo, nisi id expresse significet indultum apostolicum. Est autem semper a mitra abstinendum tum canonicis dum Episcopo celebranti collegialiter assistunt, tum canonice celebranti, Episcopo sive cum pluviali et mitra assistente, sive absente, in iis divinis Officiis in quibus Episcopo mitra sim-

(1) Conc. Vat. De rev., c. 2.

(2) Epist. 28.

plex praescribitur. Neque licet uti mitra canonicis dum Episcopo pontificalia celebranti collegialiter assistunt in Missa de Requie, neque non feria VI in Parasceve et aliis diebus poentialibus, exceptis quatuor dignitatibus seu canonicis in quinque absolutionibus quae fiunt in solemnioribus exequiis iuxta Pontificale Romanum. (Ex decr. *Gaudisien.* d. I mens. Febr. M DCCC VII).

— Quum usus mitrae extra cathedralem capitulo expresse non sit, servandum est in casu quod Motu proprio *Inter multiplices* diei XXI mens. Febr. M DCCC V (1) praecipitur (n. 80) ut nemini ad aliquid ex canonicorum collegiis pertinenti suffragentur privilegia ultra propriae ecclesiae limites, ita ut non liceat capitulo mitra uti extra cathedralem. Est autem censendum capitulum ultra propriae ecclesiae limites suis privilegiis uti, si in alia dioecesis Ecclesia Episcopo in solemnibus pontificalia celebranti collegialiter assistens aut invitatum mitram adhibeat. (Indidem).

— In Indultis Oratorii privati intelligitur inclusa facultas sacram Communionem distribuendi iis omnibus Christianis, qui Sacrificio Missae adsistent; salvis iuribus parochialibus. (Ex decr. d. VIII mens. Maii M DCCC VII).

— Pro expositione Sanctissimi Sacramenti in pyxide non requiritur incensatio; pro expositione vero in ostensorio duplex requiritur, una post expositum Sanctissimum Sacramentum, antequam incipiantur preces; altera ad stropham *Genitori*, etsi inter expositionem et *Tantum ergo* nullae interponantur preces. Quum denique Sanctissimum Sacramentum a mane usque ad Vesperas maneat expositum, Celebrans qui cum ministris accedit ad altare expositionis, post praescriptam reverentiam et antequam aliquid cantetur non debet facere incensationem. (Ex decr. d. V mens. Iulii M DCCC VII).

— Permitti potest compositio ex oleo olivarum et cera apud ad nutriendam lampadem quae continuo ardere et lucere debet ante altare et tabernaculum ubi asservatur Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum. (Ex decr. d. VIII mens. Novembr. M DCCC VII).

— Festum apparitionis Immaculae Mariae Virginis ad Lapurdum (*Lourdes*), duplex maius pro die XI mens. Februarii, cum Officio et Missa propria ad Ecclesiam universam extenditur. (Ex decr. d. XXVII mens. Novembr. M DCCC VII).

— Lux electrica vetita est non solum una cum candelis ex cera super altari iuxta decretum d. 16 Maii 1902, sed etiam loco candelarum vel lampadum, quae coram Sanctissimo Eucharistiae Sacramento vel Sacris Reliquiis aut imaginibus Sanctorum praescriptae sunt. Pro aliis ecclesiae locis et ceteris casibus illuminatio electrica ad primum Ordinarii iudicium permittitur: dummodo species non habeatur theatri ad mentem decreti n. 3859 d. 4 Iunii 1895. (Ex decr. d. XXII mens. Novembr. M DCCC VII).

— Indulgentiam CCC dierum, defunctis quoque applicabilem, consequi valent quotquot in Seminaris aliisque Collegiis et Asceteriis in spem Ecclesiae rite instituuntur, atque omnes et singuli cuiuslibet gradus et ordinis clerici, quotiescumque in assumendo de more superpelliceo, se cruce signent pieque sic orent: « Indue me, Domine, novum hominem, qui secundum Deum creatus est, in iustitia et sanctitate veritatis. Amen ». (Ex decr. d. I mens. Decembr. M DCCC VII).

— Licet ut puellae ac mulieres in scamnis sedentes, ipsis in ecclesia assignatis separatim a viris, partes invariables missae cantent; et saltem extra functiones strictae liturgicas,

(1) Cfr. *Vox Urbis* an. VIII n. 4, 5, 6.

hymnos aut cantilenas concinant. (Ex decr. d. XVII mens. Ianuarii M DCCC VIII) (1).

— Corollae lignae, quae super tobaleas altarium aras circumcingant adhiberi non possunt. (Ex decr. d. XXIV mens. Ian. M DCCC VIII).

— Non obstante consuetudine, in functione benedictionis cum Sanctissimo Eucharistiae Sacramento, non licet, dum exponitur, vel postquam expositum fuerit idem Sanctissimum Sacramentum, statim canere primam stropham *Tantum ergo* usque ad *Genitori*, inde Litanias Lauretanas cum relativa Oratione, ac tandem alteram stropham *Genitori* etc. (Indidem).

— Non licet asservare Sanctissimum Eucharistiam quamvis in altare baldachinum habente, quum super illud habeatur habitaculum cum lectulo. (Indidem).

(1) Huic decreto addita est mens. I. ut intra christifideles viri et pueri, quantum fieri potest, suam partem divinis laudibus concelebrandis conferant, haud exclusis tamen, maxime ipsorum defectu, mulieribus et puellis; et II. ut ubi officiatu choralis habetur, cantus exclusivus mulierum, praesertim in cathedralibus ecclesiis non admittatur, nisi ex gravi causa ab Ordinario agnoscenda; et cauto semper ut quaevis inordinatio vitetur.

DIARIUM VATICANUM

(Die XXI mens. Aprilis - d. XX mens. Maii M DCCC VIII)

Coram SSmo admissiones.

Praeter Purpuratos Patres, Urbanos Antistites, qui sui quisque muneris gratia Pontificem de more adire, peculiari nota digni sunt iuxta admissionis diem: manus peregrinorum ex Tuscia ad quatuor millia hominum numerum, a metropolitano florentino et suis episcopis coram adducta; manus peregrinorum e dioecesi Anagnina; Laura, Ioannes et Felix e principibus de Tokary-Tokarzewski-Karaszewicz; Leo Mallié eques torquatus, Belgici diarii *Courier de Bruxelles* moderator, stipem Belgarum diariorum scriptorum Pontifici offerens, cum civibus pluribus suis; coetus nobilitum mulierum Taurinensium a *Misericordia*; Ernestus Schönberg-Roth-Schönberg dynasta eiusque familia; Robertus et Ernestus de Windisch-Gratz principes; De Cramer Klett dynasta eiusque uxor; Fridericus Larisch comes; Rodulfus et Ioannes Hoyos comites; manus peregrinorum tum ex Rhetia, tum ex Helvetia, tum ex sodalitate S. Michaelis Arcangeli Vindobonensi; manus peregrinorum e dioecesi Lucensi; alia peregrinorum manus e dioecesi Iaciensi; Iosephus Maria Guiot episcopus Augustopolitanus electus; Amadeus De Bie, Abbas generalis Ord. Cisterciensium Communis Observantiae; peregrinorum manus e dioecesi Constantiensi; aliae peregrinorum manus ex Bavaria, ex Batavia, ex Nordica America, ex dioecesi Massiliensi; Carolina e principibus Thurn et Taxis; Antonius de Hohenzollern princeps; doctores et alumni e schola superiori magistrorum Zagabriae.

Pontificiae electiones.

RR. pp. Terentius Moretti et soc. Missionum Pretiosissimi Sanguinis D. N. I. C., et Seraphinus a Colleparlo ex Ordine Capulorum inter iudices S. Congregationis Concilii Tridentinis decretis interpretandis; et Albertinus Sili, Procurator Generalis Camaldulensium e Monte Corona, inter

iudices S. Congregationis Episcoporum et Regularium adleguntur.

— Excellentissimus vir Carolus Hryniewicki, archiepiscopus Pergen., Leopoltanae ecclesiae canonicus, inter episcopos Pontificio solio adstantes refertur.

Varia.

Die XVII mens. Maii in Vaticana basilica Beatorum honores tribuuntur V. S. D. Mariae Magdaleneae Postel, Sororum e scholis Christianis Institutrici. Vespere Pontifex in basilicam descendit novam Beatam veneraturus.

Vita functi viri clariore.

Die XXV mens. Aprilis, repentino morbo correptus, Rhegii animam Deo reddit Purpuratus Pater **Iannarius Portanova**, illius metropolitanae ecclesiae archiepiscopus, vir humanae ac divinae doctrinae peritissimus, studio et caritate erga gregem sibi commissum praeclarus. Fuit episcopus Isclanus ab an. M DCCC LXXXV ad an. M DCCC LXXXVIII quando ad archiepiscopatum Rheginum promotus est. Leo PP. XIII eum in Sacrum Senatum cooptavit an. M DCCC XCIX. Natus erat Neapoli an. M DCCC XLV.

ANNALES

Vindobonenses feriae.

Tot regnorum praepositi circa regem unum, quot circa Franciscum Iosephum, Austrorum imperatorem, sexagesimum regni sui annum expletem, laetabundi et oimantes convenere haud facile videris. Erant enim Guilelmus Germanorum Caesar e navali suo itinere redux, et Bavariae, Saxonum, Wurtembergii reges et Badensium insuper princeps, et duces civitatum omnium Teutonicarum et earum ipsarum quae libertatis gubernio fruuntur legati; qui universo orbi patefecerunt sese arctissimo amicitiae vinculo vicissim esse coniunctos. Quid ultra? Italiae rex litteras per telegraphum ad venerandum senem benevolentissimas misit, confirmantes plane triplex foedus notissimum solidis quidem fundamentis inniti circa propositi summam, pacis inter nationes conservandae et populorum boni procurandi. Quodsi reapse hic etiam fuerit Vindobonensium feriarum effectus, non est dubium quin ad eas humanus quisque animus libentius sit accessurus.



Mauritana res.

Idque eo magis quod Mauritana res in discrimine adhuc versetur. Dum enim Germanorum administri palam declarant se Muly-Afid legatos numquam audituros, hic Fez ad urbem contendit, quo etiam Abd-El-Aziz pergere dicitur, Rabat urbe derelicta.

Congressurine aemuli duo illic inter se erunt? Fortasse quum verba haec edentur, nuncii rem explanaverint.



Indorum rebellio.

Interim belli rumores ex Asia quoque afferuntur. Tribus enim Molnuands et Bajaur, quae fines Afganorum incolunt, mota seditione in Anglos impetum faciunt. Timent hi quidem ne fanaticus illorum populorum furor augeat in dies bellantium numerum; itaque exercitum decem millium hominum instructum, Villcocks duce, in eos mittunt, qui facile eos semel et iterum repellunt. Si vero, prouti dicitant, Afganistarum rex (*Emirum* nuncupant) rebellibus directe aut indirecte auxilia suppeditet, res procul dubio minarum et periculi plena fiat; quod avertat Deus.



Ex infima America.

Hae postremi mensis civiles res maioris momenti; quibus de more accedunt tumultus ex infima America; nunc inter Peruvianam et Nicaraguensem rempublicam decertatur.

PUBLICI PER ORBEM COETUS LEGIBUS FERENDIS

In **Anglia** Asquith, administer primus, regni opes recensens eas floridas late patefecit.

In **Brasilia** similia rei publicae praeses publicum legatorum coetum inaugurans recognovit.

In **Gallia** de ferriviis ad occidentem solem rei publicae avocandis et de reddituum vectigalibus disceptatur.

In **Germania** de impensis ad novas ferrivias in Africanis coloniis construendas de qua subsidiis navigantibus ad ipsas colonias elargiendis latae leges; deinde coetus sessiones ad Octobrem mensem dilatae.

In **Lusitania**, iuramento a novo rege praestito, legati recens electi de publico bono augendo sine partium studio convenerunt. Dictatoris decreta deinde abrogata.

In **Russia** rationes acceptorum et expensarum ad examen adductae; de navali re ad commercia augenda provisum, atque administratorum praesidis Stolypin civiles rationes de Finlandica provincia sunt adprobatae.



PER ORBEM

Die XXI mens. Aprilis MDCCCXVIII Genuae, dum domus quaedam exstruitur, ex contignationum casu ruina fit, unde operarii quindecim graviter vulnerantur.

Guatemala in urbe, Cabrera, reipublicae praesidis, vita nefarie, at incassum, petitur.

— d. XXII Londini moritur Henricus Campbell-Bonermann, usque ad extremos vitae dies collegii administratorum praefectus.

In Columbiana republica Reyes dux praesidis officium suum Angulo duci pro tempore tradit.

Antuerpiae cives magnis clamoribus Congi adnectionem Belgico regno repetunt.

— d. XXIV magna ventorum tempestas Walls oppidum ad Missis ipsi flumen destruit.

— d. XXV Petropoli maxima officinarum pars ad tormenta bellica fabricanda incendio comburitur.

— d. XXVIII Bruxellis coetus ex omnium nationum legatis congregatur, ad armorum regimen in Africa exequendum.

— d. XXX ad insulas quae a Piscatoribus appellantur, tormento quodam ex improvise incenso, Matsushima tironum navis mergitur una cum discipulis ducentis.

Die I mensis Maii Parmae agricolae ex condicto labores ubique deserunt.

Vindobonae Penschka, Austrorum gubernii administrator, improvise fato corripitur.

— d. II Budapestini moritur Stephanus Türr, Hungarorum militum praefectus, qui tamen libertatis fautor Subalpinorum arma sequutus est ad Langobardorum et Venetorum regiones ab Austriacis vindicandas. Natus erat Baiae an. MDCCCXXV.

— d. IV Praegae supremum obit diem Iosephus Aerold, nationalis Czechorum consilii praeses.

— d. VI Olysiptone Emmanuel rex sollemni ritu de more consalutatur, qui coram coetu senatorum et populi legatorum debitum insiurandum emittit.

— d. VIII Lutetiae Parisiorum decedit Ludovicus Halevy, inter Galliae academicos adscriptus.

— d. IX in Montis Nigri principatu novae urbis Antivari fundamenta sollemniter ponuntur.

— d. X Roosevelt, Civitatum Foederatarum Septentrionalis Americae praeses, fundamenta pariter iacit officii pro rebus earundem civitatum communibus.

— d. XII Nebraska Iaponica regio ventorum vi misere vastatur.

— d. XVIII Florentiae vitam naturae reddit Herneustus Masi, criticae artis Italicus scriptor praeclarus.

— d. XIX agrorum a laboribus deserto a Parmensi regione ad Placentinam diffunditur.

Praegae tumultus contra Teutones renovantur.

LIBRI RECENS DONO ACCEPTI

Socios et lectores admonere iuvat, libros recens editos atque ad nos missos ut in Voce Urbis eorum notitia detur, apud administratorem nostrum, nisi contra aperte declaretur, minime venundari. Si quis igitur alterum eorum sibi cupiat, petat necesse est ab editore, quem semper indicamus.

ANTONIO RICARD. **Sant'Antonio di Padova.** — Traduzione dal francese del p. Stefano Ignudi. — Editio altera. — Romae, edid. Desclée et Soc., 1908. (Ven. lib. 2).

FELIX LUALDI. **Caeremoniale Missae privatae.** — Editio septima latina, emendata et adnotationibus aucta. — Indidem. (Ven. lib. 1).

DOMENICO CONTI. **Da Betlem alla Galilea.** — Indidem. (Ven. lib. 1,25).

ANDREA BAURILLART. **S. Paolino vesc. di Nola (353-431).** — Traduzione italiana su la seconda edizione francese. — Indidem. (Ven. lib. 2).

Documenti pontifici contro il Modernismo. — Indidem. (Ven. lib. 0,60).

CARD. A. CAPECELATRO. **Il giubileo sacerdotale di Papa Pio X.** — Indidem. (Ven. lib. 0,20).

LUIGI BRÉHIER. **Le chiese bizantine.** — Indidem. (Ven. lib. 0,60).

Id. **Le chiese gotiche.** — Indidem. (Ven. lib. 0,60).

A. LAURENT. **La libertà d'insegnamento.** — Indidem. (Ven. lib. 0,60).

AB. MARIN. **S. Teodoro.** — Indidem. (Ven. lib. 2).

AENIGMATA

I.

Discolor et pulcrum servor mensasque decoro;
Omnes mirantur, denique proiciunt.

II.

Cuspidibus lateo munitum in limine, donec
Hiscat, tunc demum me dabo desiliens.

F. X. B.

Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad Commentarii moderatorem miserint intra menses duos, unus, sortitus, gratis accipiet IOANNIS BATTANII opus, cui titulus:

ANTHOLOGIA PARVA GRAECO-LATINA (VII).

Aenigmata an. XI, n. III proposita his respondent:

1) Amor - Roma; 2) Dolor - Olor.

Ea rite soluta miserunt:

Theresia Venuti marchionissa; Am. Robert, Roma. — Guil. Schmidt, Londino. — Aug. Scriban, Iassii in Romania. — I. Ortiz, Morelia. — Ios. Rainelli, Arona. — F. Arnori, Mediolano. — Petrus Tergestinus. — Lad. Lud. Podobinski, Cracovia. — Rich. Müller, Berlino. — Rich. Brondel, Brugis. — Call. Amalberti, Albio Intemelio. — Lod. Dubois, Massilia. — Maximilianus Wronski, Norva Vies Navodova. — Alex. P. Gest, Trentino. — Ios. Martins, Philadelphia.

Sortitus est praemium:

AUGUSTUS SCRIBAN,

ad quem missum est opus cui titulus:

I SONETTI PASTORALI DI LUIGI OLASIO
tradotti in distici latini da GIOVANNI BATTANI.

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus.

ROMAE — Ex officina Pacis, Phil. Cuggiani.

TARCISIUS — Actio dramatica I. B. FRANCESIA. (7)

(Versibus senariis conscripta).

CIVIS II.

Quae fera nobis accidere tempora!

CIVIS III.

Aeternum dedecus Romae, vituperium!

CIVIS II.

Ab Africa rabidi leones venerant, Haedi,
Ut cives nostros recrearent optimos,
Suam qui nativam nesciunt rabiem! Idem.
Heu! usque splendor cossit Capitolii,
Novusque fulgor nascitur de sydere!

DIOCLETIANUS.

Quid voces propter me submisisse murmurant?
Putavi explere Romae desiderium!...

Heum! stipant quot cives; premunt quot advenae!

CROMATIUS.

Te, Caesar, obvium quaesivi trepidus...
Os sublevisti cur officiis mihi?
Daturum salvam promisisti Fulviam,
Eam sciebas adduci ad supplicium!
Oh si vidisses! Matronae stant trepidae
Obortis lacrymis ob fortitudinem!
En ipsa! Quae vultus maiestas! Adspicit...
Magnum circa populi cuncti silentium.
Timent omnes, timoris ipsa nesciens!
Adit leonem; qui furens in caveam
Prosilit quassans flavescentem comam.
Adspiciunt omnes, movent nec oculos,
Et ipsos frenant spiritus in pectore.
Tuus subridens procurator cupide
Vultu securus contemplatur Fulviam.
Talia quis videns se Christianum denegat?

DIOCLETIANUS.

Christi discipulus tu?

CROMATIUS.

Nondum, sed propius!...

DIOCLETIANUS (1).

Et ipsa fera?...

CROMATIUS.

Nobis mansuetior
Demissis faucibus, procedit cautior,
Odoratur lente naribus martyrem,
Humi proecumbit; novo sed miraculo
Pedes lambit, dulcis submissa foeminae!
Tunc omnes belluam clamore stimulant,
Strepentem sonitum dat turba vocibus.

(1) *Anxius.*

Vocant hi liberam, sagam illi praedicant,
Et gladio damnant necari denno.
Fit strepitus; clamor it recto ad sydera.
Tuus minister illam damnat capitis.
Leo vi tollitur silens in carcerem.
Tunc fit silentium. Procedit carnifex
Suo qui gladio salutat populum,
Eamque plurimis ictibus percutit.
Et ipsa flexis genibus devotior
Salutat caelum, propitiatur lumine...
(Lumine, nam vinculis gravantur brachia!)
Percussa gladiis et honeste cecidit...
Haeret vox omnium prae metu faucibus,
Simul confusi dilabuntur aulici,
Fugit Romanus, contremiscit; carnifex;
Non sic, non sic, is percutit quum reprobum!
Haec mulier per forum praedicatur innocens
Eiusque exuviae sancte sunt conditae,
Cruor colligitur effusus spongiis
Suis ut esset fidei testimonium.
Ut olim sanguis victorum pro patria.
Habent suum deus Christiani martyres! (1).
En fertur corpus hinc septum floribus
Eiusque coepit cultus gratia tui.

DIOCLETIANUS (2).

Es ne Christianus? Cur audes ita loqui?

CROMATIUS.

Nondum, sed parum deest! Iis quid castius?
Potest quid sanctius coli inter homines?

DIOCLETIANUS.

Et audes istud profiteri criminis
Palam, mihi, dicor Christi qui adversarius?
Meum ne furorem patiaris time!
Ruit tempus, meae finis patientiae...
Meumque Roma sentiat propositum: (3)
Christianas stirpes evertam funditus,
Et omnes destruaam Christi discipulos!
Audistin? Sic volo, sic fatis pertrahar
Ni quidquid obstat adfatim perduim!
Peribis et tu partes sciam si sequi
Christi: peribunt omnes uno vulnere! (4)

(1) *Haec dicens digito monstrat interne ferri corpus Fulviae magna cum religione. Submisit exaudiuntur Christianorum voces: IN PACE QUIESCE! — NOSTRI MEMENTO! — PAX CHRISTI!*

(2) *Curiose inquirens.*

(3) *Maximo furore actus.*

(4) *Exit cum aulicis. Eum sequuntur complures cives, voce confirmantes quae dixit imperator.*

PROSPECTUS SUBNOTATIONIS
COMMENTARII VOX URBIS IN AN. MDCCCXVIII

Pretium annuae subnotationis est in Italia Libell. 4,80
ubique extra Italiam Libell. 6,25
(Doll. 1,25; Sch. 5; March. 5; Rubl. 3; Coron. 6,25)
recto tramite mittendum

ad ARISTIDEM LEONORI Equitem

Commentarii "Vox Urbis", possessorem et administratorem

ROMAM, Piazza del Gesù, 48

Praemia sociis constituta:

Ex subnotatoribus quisque sive *Vox Urbis* kalendarium, sive tabulam
m. 0,25 × 0,45 Pontificiam dominationis
auspicationem referentem a Pio PP. IX anno MDCCCLVI peractam, *ad libitum*
sibi habebit.

Qui socios novos comparaverit duos pretiumque eorum subnotationis
miserit, subnotatione sibi gra-
tuita omnino fruatur.

Qui socios novos comparaverit tres — bibliopolis exceptis — ma-
gnificam tabulam dono accipiet
m. 0,63 × 0,85 in qua apposita charta manu facta, calcographice impressa, offi-
cina Urbani hospitii S. Michaelis ad Ripam, antiqua gloria insignis, imaginem
retulit Pii X Pont. Max. vultus vigore, oculorum vi lineamentisque iure merito
apud omnes celebratam.

Qui triginta socios novos comparaverit ante Iulium mensem — bi-
bliopolis pariter exceptis —
dimidiatum pretium itineris habebit a quovis Europae loco ubi vivit Romam usque,
atque inde in domum suam, secunda, prouti vocant, ferriveharum classi usus.

Qui sexaginta socios novos comparaverit uti supra, eodem itinere
gratis omnino gaudebit.

Ann. XI.

ROMAE, Kal. Iulii MDCCCXVIII

Num. VII.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Semel in mense prodit

Pretium annuae subnotationis, *ante solvendum*, est:

In Italia: Libellarum 4,80

ubique extra Italiam: Lib. 6,25 (Doll. 1,25; Sch. 5; M. 5; Rubl. 3; Coron. 6,25)

Cuncta mittantur ad ARISTIDEM LEONORI equitem

Commentarii VOX URBIS possessorem et administratorem

ROMA - Piazza del Gesù, 48 - ROMA

Subnotatio fieri potest:

IN GALLIA
apud
Librairie Gamber

Paris
Rue Danton.

IN ANGLIA
apud
Burns and Oates

London W.
28, Orchard Street.

IN RUSSIA
Varsaviae Polonorum
apud
Gebethner et Wolf
Rakowskie Przedmiescie, 15.

"Kronika Rodzinna",
Krakowskie Przedmiescie, 6.

IN CANADA
apud
Librairie Granger Frères

Montreal
1689, Rue Notre-Dame.